19

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE DYSENTERIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS FLEMYNG PORTER,

Hibernus,

CHIRURGUS, &c.

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

HORAT.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

MEMORIÆ

AMICI SUI

JOSEPHI WILLIAMSON,

DE PORTO BELLO,

PROPE EDINBURGUM,

ARMIGERI,

PII GRATIQUE ANIMI

MONIMENTUM

HOCCE OPUSCULUM

CONSECRAT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSENTERIA.

Auctore GULIELMO FLEMYNG PORTER.

PROŒMIUM.

OMNIUM morborum quibus obnoxium est corpus humanum, pauci plus dolentes et nulli plus sæviores quam Dysenteria, itaque nullus morbus quam hic, medicorum attentionem plus vindicat.

DEFINITIO MORBI.

Celeberrimus CULLEN Dysenteriam sic definivit, "Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis ; tormina ; tenesmus." Quamvis nullum anni tempus, neque terræ regio homines a sævo hujus morbi impetu incolumes præstet ; gravius tamen et simul frequentius eo

conflictari solent, qui sub sole fervidiore quicquid duri habeant belli discrimina, aut cœli intemperies adire coguntur.

Dysenteria grassante, modo quædam hujus valetudinis notæ jam inde a principio clare sese produnt; modo febrilia quædam, crebri nempe horrores, frigoris sensus, languor, dorsi lumborumque dolores, nausea, cibi fastidium, et materiæ biliosæ vomitus, ægrum per aliquot tempus male prius habeant, quam propria Dysenteriæ symptomata nos de mali natura certo admoneant.

Brevi tamen accedunt ventris tormina, maxima circa umbilicum molestia, cum abdominis duritie, flatu, materiæ biliosæ vomitu, ac frequente desidendi cupiditate, quæ nunc prorsus inanis, mox quodvis mucosum, sæpe pauxillo sanguinis admistum exprimit. Inde intestinorum torsiones brevi levantur, quæ post paulo acerbius iterum redeuntes, dejectiones parcas, vix unquam puras solicitant; hæ, utcunque crebræ, rarissime desidendi desiderium explent.

Nonnunquam quæ, ineunte morbo, primum egeruntur, haud multum a solitis alvi dejectionibus abludunt, et diarrhœæ speciem satis mentiuntur. Multo autem frequentius alvus aut nil

stercoris demittit, vel tantum massulas quasdam induratas et subrotundas, scybala dictas, excernit. Progrediente morbo, prout isti vani atque inexplebiles conatus ægrum gravius exerceant, assiduus et molestissimus tenesmus urget, tædii plenus, una cum gravi ani dolore, et nonnunquam procidentia. Dejectiones magis magisque a natura alienæ fiunt, et simul cum liquidioribus, mucosis, biliosis, cruentis prodeunt substantiæ firmæ atque concretæ, sevum caseum vel specie reddentes, nec raro membranacea quædam, a nonnullis ramenta intestinorum vi morbi excussa falso habita, cum potius lymphæ effusæ et densatæ debeantur. Denique fœda ventris proluvies, sanie atque pure commista, ex intestinis late exulceratis promanans, fœtidissimum spirat odorem, et immanes, quos æger pertulit, cruciatus nimis aperte declarat.

Dum tantæ commotiones intestina adeo vehementer exagitant non potest quin totum corpus in morbi consensum rapiatur. Hinc sitis; sapor oris ingratus, plerumque amarus; lingua muco albo, flavo, tandem nigro obducta; summa inquietudo; nausea, vomitus, ciborum appetentia prorsus delata. Nec unquam somnus, fessis his et miseris obrepens, ullam malorum requiem præbet.

Febris Dysenteriæ, saltem gravioris, fere

semper comes, pro anni tempore, cœli tractu, loci natura, et ægri ipsius habitu alia est. Modo febris ardentior; modo typhodes, modo levis tantum febricula adest; vel demum remittentis, et nonnunquam etiam intermittentis formam induit.

Morbo ad exitum funestum properante, omnia graviora symptomata jam descripta magis urgent; ea, quæ deponit alvus, intolerandum odorem emittunt, et ægro inscio elabuntur; dolores demum conquiescunt, cum ingenti virium prostratione; arteriarum pulsus frequentes, exiles, et inæquales evadunt. His accedunt sitis vix sedata; lingua nigra, deglutitionis facultas impedita; aphthæ interdum os et fauces obsidentes; sudores gelidi, et mens aberrans. Hæc omnia haud dubia mortis instantis prænuntia habentur.

Est ubi Dysenteria indolem multo magis benignam præ se ferat; symptomatis tantum lenioribus stipata, mitius decurrit, et sine ullo periculo spatia conficit. Tormina et tenesmus minus ægrum torquent. Alvi excreta, cum rarius descendunt, tum minus a fæcibus naturalibus colore et odore recedunt, nec tam graves cruciatus pariunt. Febris nulla, vel levis tantum detinet. Nec adeo cibos aversantur ægri, quin aliquod levius oblatum sine fastidio assu-

mant, nec crudum iterum reddunt. Hi, alvo idoneis medicamentis leniter soluta, vel sudore erumpente, facile ad sanitatem perducuntur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Quædam anni tempora, veluti Æstas et Autumnus, maxima pollent vi morbum inferendi; in castris præsertim, in quibus plurimos eodem tempore adoritur. Putrida effluvia, vel e paludibus, vel rebus animalibus ac vegetabilibus putrescentibus orta; cibus insalubris, et quæcunque corpus debilitent, veluti defatigatio magna, alimenti idonei defectus, intemperantia omnigena, morbi progredientes, inter causas Dysenteriæ rite recensentur. Frigus, tamen, cum humiditate conjunctum, maxime manifeste habetur morbi causa excitans.

In his regionibus in quibus Dysenteria epidemica sævit certis temporibus, admodum calent dies, noctesque, e profusis roribus nocturnis frigescunt. Milites, cum longa in die itinera fecerint, defatigati, quibus paululum cibi ad famis desideria sedandum est aptum; atque omnia cutis foramina patent ob magnam perspirationem, ad morbum præcipue redduntur proclives. Humi enim decumbunt, parum a frigore humido defensi; citius dormiunt, at multi

mane surgunt dolore abdominis affecti, ac alvi fluxu, quæ paucis in horis confirmatum morbi stadium inducunt. Hoc omnibus quotidie patet, qui castra secuti sunt.

Frigus agere videtur, perspirationem obstruendo, quæ, in die, profuse fluxerat, et ita sanguinem repellendo, et hoc modo congestio et inflammatio in internis partibus inducuntur.

CAUSA MORBI.

Doctor CULLEN illustris Dysenteriam putavit a spasmodica coli contractione pendere; cui rationi apparet adduci, colon constrictum observando secto cadavere; atque redditæ fæces induratæ in forma pilarum sive scybalorum, sed de causa vera proxima hujus morbi, nequaquam inter pathologos constat; hinc fit, intestinorum inflammationem, et stricturam, vicissim veram causam habitam fuisse. Quamvis sine dubio Dysenteriæ intestinorum et inflammatio et strictura plerumque insint, attamen, ni fallor, de horum causa primaria inter pathologos adhuc agitur. In Dysenteria, vasis externis superficiei cutis corrugatis, perspiratio cutanea coercetur; quod testantur omnia symptomata initio morbi conspicua, nempe horrores quibus succedunt magna sitis, arida contractaque cutis. Ex-

tremis vasis sic constrictis, circuitus equilibrium amittitur; sanguis ab externis ad internas partes transit; inde, in regionibus calidis præsertim, oritur magna vasorum mesenteriæ ac venæ portæ plethora. Excretione naturali per vasa cutanea sublata, intestina vicario munere fungi oportet; inde mucus, vias naturaliter protegens, majore copia justo secernitur. Eodem tempore a magna plenitate internarum partium intestinorum sæpeque jecoris inflammatio incipit.

In intestinis major vis sanguinis, ad mucum secernendum, ministratur; Æger dum dejicit vas sanguinem vehens sæpe perrumpit; morbo tamen progrediente, ac plethora aucta, vasa apud partes internas sanguine adeo turgida fiunt, ut ultimo perrumpantur; hoc modo excretiones sanguineæ omnino videntur.

Plethora vasorum per intestina serpentium persistente, fæces si aliquæ in his permanserint inclusæ, tunicam musculosam vel fibrosam, in contractionem spasmodicam excitant, quæ, hoc modo eas arcte complectens, varias stricturas gignit. Tormina ac tenesmus, quæ in hoc morbo tam valde urgent, spasmodicis contractionibus intestinorum irritatorum sine dubio oriuntur.

DIAGNOSIS.

A diarrhœa opus est Dysenteriam dignoscere. In diarrhœa dejectiones copiosæ, liquidæ, et nullo sanguine mixtæ sunt. In Dysenteria contra dejectiones parcæ prorsusque a solita conditione mutatæ cum torminibus sævis atque tenesmo, satis manifeste, qualis sit morbus, ostendunt.

Alius morbus qui cum Dysenteria confunderetur, Colica est; sed inter eos diagnosis clare apparet, nam quamvis utrique morbo insunt dolor abdominis, ac nausea quibus sensus plenitudinis et molestiæ antecedunt; tamen alvus astricta, scilicet ullius excretionis absentia, Colicam a Dysenteria, cujus excretiones mucosæ vel sanguinolentæ symptomata singularia sunt, plane distinguit.

PROGNOSIS.

Quo melius de hujus morbi eventu judicium feramus, ad ægri vires, ætatem, vivendi rationem, et signorum vehementiam sedulo erit respiciendum. Debiles, ætate provectiores, vel quorum vires fatigatione, inedia, gravioribus

animi motibus, vel corrupto cœli tractu antea convulsæ fuerint, e dysenteria raro emergunt. In eos quoque haud leve minatur periculum, quos febris ab initio vehemens aut maligna non demittit, quos importuna desidendi cupiditas perpetuo exercet; dum ea quæ alvo redduntur, a sanis dejectionibus maxime aliena, cruenta, graveolentia, sanie et carunculis commista observantur. Quodcunque intestinorum ulcus significat jure terret; morbi enim immedicabilis fere indicium est. Malum quoque est, si una cum intolerando ventris cruciatu, multum simul turbantur ventriculi munera, et vomitus assiduus, ne medicamenta ingesta retineantur, obstat. Malum item, siquando alvus in eam infusa relabi sinat, aut arctissime clausa, iis aditum omnino denegat. Cum arteriarum ictus maxime debiles fiunt et inæquales, partes extremæ frigent; dolores conquiescunt; quodcunque ex alvo descendit pessime fœtens ægro inscio redditur; et mentis alienatio et singultus superveniunt, de ægro actum est.

Nec fere minus metuenda est ista Dysenteria, quæ, etsi hominem non celeriter rapiat, tamen in longum producta eum graviter vexare perstat, vires paulatim resolvens, tabem insanabilem tandem illatura. Symptomata, contra, morbi mitiora spem facere manifestum est.

SECTIO CADAVERIS.

Sectis cadaveribus eorum, quos abstulit dysenteria, multa et admodum diversa sese in conspectum dederunt; ita ut haud semper in promptu fuit discernere, quæ hujusmodi morbida fortuito adessent, quæ vinculo arctiore cum morbo conjungerentur; nullum enim est viscerum abdominis quin aliquando ejus sævitiam passum sit.

Patefacto abdomine, intestina maxime crassiora, nonnihil constricta, inflammationis vestigia fere semper produnt. Hæc morbida intestinum colon atque rectum scrutantibus præcipue obveniunt, quorum tunicæ interiores effuso humore obductæ, crassæ, rubræ, flavæ, interdum plane lividæ vel nigræ reperiuntur, nonnunquam facies eorum interna tuberculis huc illuc scatet, quæ pustulorum speciem haud male repræsentant.

In plerisque eorum Dysenteria peremptorum, quorum cadavera a medicis incisa fuere, et inde visa memoriæ prodita, præter inflammationis notas, nonnunquam ad intestina minora usque porrectas, sæpius vero intra coli rectique limites

circumscriptas, ulcera, erosiones, maculæ nigricantes, vel gangræna observata fuere.

Inflammatio in tunica intestinorum villosa maxime adest, quæ semper rubra, crassior, inæqualis, huc illuc quasi protrusa reperitur. In nonnullis, quos præceps mali vis mature rapuisset, nil præter insolitum hujus tunicæ ruborem sese obtulit, sine ullis ulceribus, aut gangrænæ aut lymphæ effusæ indiciis. Medici jecoris vitiatam structuram quoque minati sunt, quippe quibus morbum e bilis vitio originem sæpe trahere persuasum fuit; et variæ hujus visceris duri, amplificati, lividi, gangræna etiam quasi affecti læsiones recensentur. Item bilis acris, nigræ, reduntantis depravationes bene multæ, hujusmodi tamen vitia in plerisque exemplis nullum nexum necessarium cum dysenteria habuere.

RATIO MEDENDI.

Medendi consilia ex signis quæ maxime urgent desumantur oportet, cumque dysenteria insignitur, pro diverso typo, facie externa aliisque rebus variatur, remedia præstantissima et tutissima, eademque administrandi ordo et præ-

cepta ex medici peritia semper pendeant necesse est.*

Qualecunque fuerit mali stadium, si arteriarum pulsus frequentes, validi, et duri extiterunt, aliaque inflammationis signa adsint, sanguis detrahatur oportet. Ubi partes inflammatæ enteritidis phænomena simulant, fotus abdominis et vesicatoria commendantur. Cathartica mitia, irruente morbo, laudantur: horum præcipua sunt, sulphas magnesiæ, phosphas sodæ, infusum tamarindorum cum senna, oleum ricini, sed si hæc votis parum respondeant, acriora cathartica, nempe pulvis radicis rhei et jalapæ, submurias hydrargyri cum jalapa, &c. dentur oportet.

Enemata, quippe intestina foventia, emollientia, doloremque consopientia, magno fructu administrantur. Ex rebus mitissimis, qualia sunt lini vel amyli decocta cum opio, jusculum ovillum, solutio mimosæ Niloticæ, aqua tepida, constare debent.

Diluentia valde necessaria sunt ; excretionem

---

* Mosely on Tropical Diseases.

promovent, acrimoniam minuunt, sitim restinguunt, cursumque humorum superficiem versus faciunt, blandissima, nimirum, serum lactis, pulmenta, ptisanaria, juscula mitia, infusa althææ, anteponenda sunt, moderate sumpta, ita non nauseam moveant.

Cum dysenteria ex halitu cutis represso provenire fertur, indusium laneum, et remedia huic excretioni restaurandæ idonea, commode adhiberi possint. Hoc consilio vomitoria nauseam cientia, horumve compositiones, nimirum pulvis ipecacuanhæ compositus, seu haustus ex vino antimonii tartarizati et opii tinctura paratus dentur.

In regionibus tropicis medici hydrargyro in hoc morbo sæpissime utuntur. Eorum multi nobis suadent, hoc medicamentum nihil profuturum esse, nisi vel interne vel externe exhibeatur, donec ptyalismus lenis supervenerit. Aliis autem auxilium ab eo sine salivatione derivari visum est.

Primo fere parvulis in dosibus scilicet, unius grani vel duorum submuriatis hydrargyri (Calomelanos) omni nocte et mane, et postea auctis paulatim dosibus, donec signorum remissio,

vel fluxus salivæ leniter auctus appareat, exhiberi debet.

Multi tamen primo exhibent hoc medicamentum interne, et externe sæpius et multo majoribus dosibus, scilicet, trium vel etiam quinque granorum. Si alvus nimis soluta redditur, opium cum submuriate hydrargyri conjungi debet.

Si morbus cum aliqua hepatis affectione consensum habeat, affricetur unguenti hydrargyri semidrachma hypochondrio dextro, semel vel bis in die, pro vi signorum et ægri viribus.

Moseley remedia cutis habitum moventia præcipue commendat; Dysenteriam enim intestinorum febrem cutis excretione repressa ortam, iisdem remediis, quæ humorum cursum cutem versus efficacissime festinant, maximeque in sudore promovendo vi pollent, optime mederi opinatur.

Indusium laneum, quippe quo cutis a frigore defenditur, ejusque anhelitus intenditur in omni Dysenteriæ stadio insigniter prodest. Cunctis mali indiciis sublatis, mitis corporis exercitatio, tonica, idoneum regimenque, ægri viri-

bus accommodatum, quo ventriculi et intestinorum vires restituerentur, præcipiantur oportet. Cura simul adhibenda, ut alvi excretio naturalis sit: æger ad solitum vitæ genus, victusque rationem paulatim redeat, et mali causas, frigus præsertim, caveat.

FINIS.